



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

xcii [i.e. iv]. Similiter reliquorum accide[n]tium absolutorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)



quantitatem extensi, in quo partes eorum  
 subiectantur, & ex quo extenso secundum  
 diversas sui partes educuntur: unde & vi-  
 des, formam materialem non ideo tantum  
 esse quantam, quia est in subiecto extenso  
 (aliàs & anima rationalis diceretur quanta)  
 sed quia insuper habet partes entitativas. Ad  
 hæc, cum quantitas sit dispositio ad formam  
 materialem substantialem, adeoque suo mo-  
 do naturâ prior illâ, non potest in forma  
 recipi, & vicissim ab ea causari materiali-  
 ter. In eo autem, quòd materia in exe-  
 cutione priùs uniatur quantitati, quæ est  
 forma accidentalis, quàm formæ substan-  
 tiali, & quòd ei tanquam proprietati suæ,  
 quam determinatè exigit, uniatur arctius,  
 quàm formæ substantiali, nihil est absur-  
 di.

IV. Similiter reliqua accidentia corporea  
 absoluta subiectantur in sola materia; si e-  
 nim subiectarentur in toto composito, &  
 hoc pereunte deficerent, jam dispositiones  
 præviè ad formam sequentè inductæ erunt  
 frustra; cum non disponant pro instanti ge-  
 nerationis, pro quo deberent disponere ad  
 formam novam, illo enim cum veteri forma  
 per-



pereunte pereunt. Nequè etiam dici potest, materiam in instante generationis disponi ad hanc specie & numero formam per dispositiones, quæ in instante præcesserunt, eò quòd virtute illarum expulsa sit forma prior, quæ quia expulsa est per tales dispositiones, non potest subsequi, nisi talis numero vel specie forma: nam forma prior vi dispositionum expelli non potuit; aliàs enim hæ dispositiones, si exigent corruptionem sui subjecti, quod tanquam principium supponitur ad earum existentiam, exigent virtualiter suam destructionem; insuper deberet forma expellens existere in instante, quo fit expulsio, utpote ejus causa, sed dispositiones tunc non existunt, cum tunc unà cum veteri forma corrumpantur. Præterea plurima manent accidentia in genito, quæ fuerant in corrupto v. g. in equo mortuo eadem quantitas, color, gravitas &c. (quis enim tam subito, veteribus accidentibus unà cum subjecto suo inadæquato formâ pereunte pereuntibus substitueret nova prioribus omnino similia? non Deus, quia hic non supplet defectum causarum secundarum, nisi ad exigentiam alicujus v. g. dispositio-



tionum jam introductarum) sed hæc accidentia non possunt manere eadem, subiecto eorum inadæquato pereunte. Ad quod si dicatur, illa mox incipere subiectari in forma nova accedente, sine necessitate jam multiplicantur uniones horum accidentium, pereunt hæc siquidem, dum perit subiectum inadæquatum horum accidentium, cum quo uniebantur, & novæ producuntur ad uniendum eadem formæ sequenti. Cum ergo inquit Arist. *generatio est mutatio totius in totum, nullo subiecto sensibili remanente eodem*: Vult, perire sensibile in concreto, sive subiectum, quod mediis accidentibus denominatur sentiri, non verò ipsa accidentia; & licet maneat materia tanquam subiectum informationis istorum accidentium, hæc tamen non est subiectum denominationis; malè enim dicitur, medio colore videri ipsa materia prima, sed dicitur videri homo seu totum compositum, quod perit pereunte forma.

V. Probabilius est, accidentia subiectari immediatè in quantitate; videmus enim varias in speciebus Eucharisticis fieri alterationes.